VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI ORATIO, HABITA PRO SE IPSO IN ACADEMIA...

Vincente Blas Garcia

Digitized by Google

AD ILL. ET REVER. D. D.

ASCANIVM COLVMNAM

S.R.E. CARD. AMPLISS.

PRAEFATIO.

Barbarorum Regum conſuetudo.

DIGNITATEM *obſoleſcere, & amplitudinem imminui ſuam Perſarum Reges, inani Barbaroq. faſtu homines, putabant, ſi, paulo humaniores facti, ſeſe quaſi aperirent, &, mitigata aliquantulum naturæ, & perſonæ ſeueritate, in aliorum conſpectum darent, atque in communi luce, oculisq. gentium verſarentur. Occultabantur illi domeſticis latebris; neminem, præter pauciſſimos, eosq. maxime familiares, admittebant, &, velut aliquod veſtale, vt aiunt, ſecretum, in ſolitudine, in priuatorum vmbra parietum, ſine vllo ſtrepitu, ſine vlla concurſatione, maximo cum ſilentio, latebant. Patebat quidem populo, cum eo conueniebat, laxiſſima regia domus; ſed in ipſo aditu, atque veſtibulo conſiſtere cogebatur. Si quando contingeret eos foras egredi, cœtusq. hominum, & frequentiam adire, lecticis, thenſisq. vecti, & denſa circumſepti virorum, armorumq. teſtudine, ſenſim, & quaſi ad numerum ita mouebantur, vt pomparum ferculis ſimiles cenſerentur. Ingens ad illud ſpectaculum hominum, Regem ſuum auidis oculis quærentium, accurrebat multitudo; ſed illam apparitoris, huic negotio deſtinati, diligens, nec vlli parcere ſolita, manus verbena ſubmouebat. Stulti, qui tenebras luci, ſolitudinem celebritati, aërem in cubiculo incluſum, & ſæpe nocentem libero, & ſalutari anteponerent: miſeri, qui publicam perſonam gerentes, eam ſibi legem, & conditionem vitæ conſtituerent, quam nemo priuatus ferret: amentes, qui, cum rerum potirentur, ſe in voluntariam ſeruitutem traderent; & Reges crederent, cum paucorum libidine regerentur: ſcelerati, qui eos, quibus præerant, non cognoſcerent; quorum incolumitati conſulere debebant, eos ita odiſſent, aut contemnerent, vt, neque illos aſpicere, neque ab illis aſpici vellent. Non deſunt hac noſtra tempeſtate, nec defuerunt ſuperioribus ſeculis, nec, vt res cœpit ire, futuris deerunt, docti quidam homines, & diſerti, qui vanitate, vt arbitror, ingenij, aut ſtulta perſuaſione, aut contemptione aliorum, hanc Barbarorum Regum conſuetudinem, totius vrbanitatis, elegantiæ, & humanitatis expertem, imitentur. Arbitrati enim multum de ſua exiſtimatione detractum iri conſortione reliquorum, continent ſe intra domeſticos parietes; amicorum congreſſum fugiunt, occludunt fores adeuntibu, & inuiſere, ac ſalutare cupientibus. Si quando tandem admiſſus, aliquid experiundi, diſcendiq. gratia, perconteris, aut non re-*

Auctor Ariſtides.

Docti quidã Regum Barbarorum ſimiles.

ſpondent ; aut ita ſero, vt rogaſſe pœniteat, aut ita faſtidioſe, vt reſponſum à contumelia parum differat, aut ita obſcure, vt nihilo doctior ab eorum congreſſione diſcedas. Quę eruerunt ex antiquitate, ea ſibi vnis ſeruant; quæ hauſerunt è Philoſophię fonte, diligentiſſime cuſtodiunt; denique quidquid laborando, inquirendo, obſeruando conſequi potuerunt; id totum apud ſe perire patiuntur; alijs fructum ingeniorum ſuorum, ſibi gloriam inuidentes. Inuitantur ſępe ad publicam lucem, ad hominum celebritatem, ad ſuggeſtum, atque conciones; at ſuis tenebris, more noctuarum aſſueti, malunt, quam adepti ſunt, orationis facultatem, cum ſui nominis detrimento, in exercitatam exareſcere, quam vſu communi latius efferri, & quaſi inter mortuam reuiuiſcere. Quod ſi quis eiuſmodi forte caſus incidat, vt exire foras tandem, & in aliorum, vt fit, concilio aliquid à ſe promere cogãtur, tanta cum grauitate prodeunt; ſic cõtrahunt ſupercilia ſic uocem inflectunt ad canorum ſonum; in admirationem ſui ita ſe componunt, vt, deceptis inani illa ſpecie intuentium oculis, non in concione verba facere ſed oracula fundere videantur. Tantum vero ab eſt, vt, quę dixerunt, ea conſignata litteris cum alijs communicent, aut, vt communicari poſſint, prælo ſubijciant, vt etiam ſolicite comprimant, & perinde ac Draco theſaurum, circumplectantur, vt facilius clauam de manu Herculis, quam quidquam ab illis, extorqueas. Hinc fit, vt cum ſententiæ, etiam non feſtinanter dictę, etiam non admodum acutę acutorum ſæpe ſenſus pręteruolent; nec poſſis illas in manus ſumère, accuratiore, quę elapſa ſunt, animaduerſione reuocaturus, è memoria ſic excidant omnia, vt neque illi, quę dixerint, dixiſſe, neque tu, quę audiueris, audiuiſſe videaris. Sed non eſt Deus artibus optimis, & honeſtis ſtudijs vſqueadeo iratus, vt eloquentium, & doctorum omnium idem velit eſſe conſilium. Permulti enim ſunt, qui ingenua quadam, & laudabili naturę, & ingenij facilitate, quæ acumine ſuo, quo valent plurimum, labore, cui non parcunt, grauiſſimorum auctorum, in quibus aſſidue verſantur, lectione, diurnis, & nocturnis ſtudijs acquiſiuerunt, ea in lucem edunt; nihilq. tam lubentes faciunt, quam vt voce, & ſcriptis rem litterariam adiuuent; & non ſolum quam plurimis, ſed etiam quam celerrime proſint; citiuſq. vitam, quam hanc mentem abijciant. Qua in re mirificam ſibi laudem præcipue vendicant Romani, doctiſſimi homines, & ſine controuerſia eloquentiſſimi, qui, ſiquid ſit (ſunt autem pluri ma, & pulcherrima) quod indagarint, inuenerint, è tenebris eruerint, hoc vnum ſpectant, in hoc potiſſimum figunt curas, & cogitationes ſuas, vt diſſeminetur, & quam primum diſtribuatur per orbem terrarum, non tam ad celebranda, & ornanda ſtudia ſua, quamuis id non aſpernentur, quam ad inſtruendam plurimis, & grauiſſimis artibus, atque virtutibus poſteritatem, ad veritatem vel indagandam, vel propagandam, ad errores, ſi forte in aliquos inciderint, aliorum libera, & aperta admonitione tollendos. Sciunt enim quę præclara ſunt, & exquiſita in libris, cum admiratione, quę vtilia cum voluptate legi, quę parum probantur,

Cũ fieri properat Gratia, grata magis.

Laudabilis Romanorum conſuetudo.

multi-

multiplici legentium opinione, atque iudicio corrigi; nec errores, ſi qui ſunt, inueteraſcere adeo, vt in multa ſęcula propagentur. Verum aliter iſtis accidat, neceſſe eſt, qui typographiam derident; pręlum ludibrium putant; editionem ante nonũ annum, quem ſua tarditate nonageſimum faciunt fatuitatem & amentiam arbitrantur. Quotus quiſque eſt ex domeſticis qui iſtos inſcitia aut ignauię, aut temeritatis, ſi res ita tulerit, admonere velit, aut, ſi velit, poſſit, aut ſi poſſit, audeat? Nam quos conſulant, alios pręter hos nec habent, nec habere volunt, ingenio ſuo confiſi ne, an decepti? Quoties prӕterea dum cunctantur; dum deliberant; dum ſe editioni parant, mortem obeunt, priuſquam potuerint conata perficere? Tunc tot annorum vigilię, tot exantlati labores, opera tam lente, & faſtidioſe probata quem exitum habebunt? Chariſſima illa pignora, filiolos tam delicate nutritos, vt ne aeri quidem, & cælo committerentur, quis amplexabitur? quis fouebit? quis ab iniurijs proteget? Illi admirabiles rerum prӕſtantiſſimarum theſauri, tamdiu occultati, tam ſeuere hominum vſui ſubducti, in quorum manus peruenient? Heredum? ſi litterati ſint, aſcribent ſibi; vt nimis multa exempla teſtantur; ſi illitterati, contemnent, & ſuorum bonorum ignari, in ſitu, & puluere (nequid deterius dicam) iacere patientur. Quid ſi (vt ſæpiſſime videmus) in alieniſſimorum hominum manus incidant, qui, vt fuci, falſę nimirum, apes, melli, ſic alienis operibus inſidiantur, vt cum alij laborauerint, ipſi in labores eorum Iob 4.
introeant? Hic ego audire mihi videor;

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? En quis conſeuimus agros!

o voces fruſtra iactatas! o querelas intempeſtiuas! Nunc demum id ſenſiſtis, egregij cunctatores? Olim iſtud, olim, cum animum induxiſtis hominum ſpes inanibus promiſſis fallere, votis imponere, expectationem eludere, vtilitatem remorari. Tunc decuit, cum licebat, cum erat integrum & veſtrę exiſtimationi, & poſteritatis commodo prouidere, & materiam ſubtrahere rapacitati hominum impudentium. Nunc, vobis ipſis infructuoſi, in nos iniurioſi, veſtris illis delitijs, quarum nobis vſum interdictum voluiſtis, priuati, deliteſcetis inglorij, hoc ſolo nomine vtiles, quod reliquos veſtro exemplo condocefeceritis; vt eam quęrant ex matura ſuorum monumentorum gloriam, quæ ipſos viuentes oblectet, non, quę aut mortuos omnino deſerat, aut ad alienos immigret, aut indignos proſequatur. Sed ego in iſtis nimium: ad Romanos redeo. Eorum Quantũ placuerit Romanorum conſuetudo.
itaque tantum apud me valuit exemplum, vt qui antea hac in re eſſem plane timidiſſimus; cenſeremq. auctore, neſcio, quo, inductus, nonum annum expectandum, ne ſcriptorum quaſi immaturitas ſcribentis inſcitiam & temeritatem patefaceret; nunc audacior, quam mea natura ferat, nullam moram interponendam putem, quin, quidquid excudo, id ſtatim ipſum typis, vt nunc loquimur, imprimatur. Vix eſt à me habita in Academia Romana in gratiarum actionem ob nouum Pontificem, Clementem Habita xvij. Kal. Iul.
VIII. Oratio, cum ſubito in manus hominum emiſſa ſeſe vel non quæ-
rentibus

rentibus obiecit, non poſtulantibus obtruſit. Eam, nondum quidem lectam, nondum ſatis inſpectam, nutante adbuc, ob anceps doctorum virorum iudicium, prioris conditione, me, ob expectationem euentus, ſuſpenſo, hęc ſecunda ſubſequitur, & ita ſubſequitur, vt tertiam, fortaſſe etiam plures, ſecum in idem periculum, & diſcrimen tractura eſſe videatur. Prodit itaque in lucem, tibi, Cardinalis illuſtriſs. inſcripta, & dicata, atque eo libentius, quod ab auctoritate tua, quæ ampliſſima eſt, præſidia periculis, à dignitate, ſummę proxima, adiumenta honoribus, à liberalitate, qua cum magnis Principibus, certa cum laude, contendis, ſubſidia infirmitati ſuæ numquam defutura confidit. Tu enim es, qui clariſſimis ſapientiæ, humanitatis, beneficentiæ luminibus extinctis, vt nouum, ſic pulcherrimum ſtudioſis, velut per tenebras errantibus, illuxiſti. In te vno viuunt ſummi illi Heroes, qui optimarum artium ſtudia diligentiſſime coluerunt, & ex illis eos perceperunt fructus, quorum ſuauitas reliquarum rerum omnium guſtum extinguit; tum alij vt colerent, & in illis florerent & exemplo ſuo, & liberalitate, cuius nunc vſus à multis aut ſtulte ignoratur, aut nefarie negligitur, perfecerunt, Bembi, Sadoleti, Eſtenſes, Sirleti, Farneſij, ne alios vetuſtiores, recentioresq. commemorem. Quid ego dicam de multitudine, & præſtantia doctorum hominum, quorum ingenijs honeſtiſſima familia tua, vt cælum aſtris, diſtincta, & ornata conſpicitur? Equidem, Princeps illuſtriſſime, hoc mihi videor veriſſime poſſe affirmare, tot, tamq. inſigniter doctos viros apud te, liberalitatis tuæ magnificentia ali, ac ſuſtentari, vt paucæ ſint in Europa familiæ, quæ aut enumerare plures, aut oſtendere meliores queant. Quis enim ad te non confugiat? quis te patronum non expetat, Mecœnatem non optet, qui nulli ſumptui parcens, tam cupide, tam libenter, quam alij colligunt, in litteratorum virorum vſum, et cultum pecunias ne cuiuſquam indigentia rei cogitationes eorum acerrimæ à præclariſſimis ſtudijs auertantur, effundis? Nititur ingens Encyclopediæ quaſi moles in tua prudentia, iudicio, liberalitate, ruitura illa quidem magna ex parte, cum multis iamdiu, & neceſſarijs deſtituta præſidijs, tum graui labefactata, atque conuulſa calamitatum concurſu, niſi tuis fortunæ magnis, ingenij rariſſimis opibus fulciretur. Suſtines vera, & firma columna, litterarum, ægre conſiſtentium, dignitatem; ſuſtines ſpes multorum litteratorum, nimis, pauloante, incertas, nimis diu fluctuantes; ſuſtines antiquitatis, miſerabilem in modum deformatæ, obliteratam pæne gloriam; ſuſtines denique decus Italiæ, cuius ipſius vix iam vmbram conſeruari plerique conqueruntur. Vt quamuis illuſtriſſimum Columnæ, & glorioſum cognomen à maioribus tuis non ſumpſiſſes hereditarium, iure tamen illud tibi vni vendicares. Sed quemadmodum vt Columna ſis, debes generi tuo excellentiſſimo, ſic, vt talis ſis, nempe, aurea ſuper baſin argenteam, habes à te ipſo, ideſt, vt ego interpretor, à ſapientia, & eloquentia tua, quarum illam auro, hanc argento ſignificari, notius eſt, quam ignorare, certius, quam ambigere, verius, quam negare quiſquam debeat.

Veræ laudes Card Colũnæ.

Litteratorũ hominũ Mecœnates.

Columna aurea ſuper baſin argenteã ſapientia cũ eloquentia.

In his

In his duabus animi dotibus, in quibus multæ aliæ continentur, ita excellis, vt pęnè (dicam libere, ſed dicam vere) ſine exemplo, aut cum paucis excellas. Inde factum arbitror, nec me coniectura fallit, vt tanta, tam varia, tam diſſimilis librorum cum illuſtriſſimi nominis tui inſcriptione multitudo prodeat, dum eorum auctores, aut, qui auctorum nomine funguntur, ornari etiam labores ſuos dignitate tua, præſidioq. defendi, ſed multo magis grauiſſimo ſapientię tuæ teſtimonio comprobari, & honorificentiſſima eloquentiæ voce commendari concupiſcunt. Extrahitur (vt hoc vnum attingam loco eorum, quæ afferri multa poſſent) è terræ latebris, vbi multa ſæcula delituerat, illuſtris illa, & multis veterum ſcriptis magnopere celebrata Ciceronis conſolatio. Multi de illa multa, eademque contraria, cum quidam legitimum, & verum, alij adulterinum, & inſitiuum partum dicerent; idq. editis libellis, ſumma obſtinatione contenderent. Atque ita liber ille, quem magno in honore ſemper habuiſti, tibi à Carolo Sigonio dicatus eſt, vt controuerſia tanta, tam implicata, tam acri ſtudio vincendi vtrinque ſuſcepta dirimi, ſuumq. opus auctori reſtitui poſſet, ſimul ac iudicij tui omnibus rebus præcellens, ſeſe interponere vellet auctoritas. Cum his ergo clarorum ſcriptorum monumentis, quæ tibi ætatis noſtræ Ariſtarcho, perfecta ingenio, induſtria elaborata, exquiſito artificio polita, quotidie offeruntur, hęc ſecunda ſe miſcuit oratio; temere; nequeo negare; miſcuit tamen, peruentura ad tuas manus, &, vt dixi, opem, & auxilium imploratura. Eam verecundantem, & inſolito amplitudinis tuæ ſplendore obſtupefactam, oro te, Princeps illuſtriſſime, atque obteſtor, vt benigne, & quemadmodum te generoſæ mentis altitudo facere monet, amanter excipias, ne, vt meritis vacua, ſic gratia tua inanis, aut ab omnibus explodatur, aut in tenebris iaceat, ſed vt obſeruantia erga te, atque reuerentia plena, ſic beneficijs magnanimitatis tuæ locupletata, publicam lucem, parta apud omnes aliqua exiſtimatione, poſſit aſpicere. iij. Kal. Iulij. an. M. D. XCII.

Sapientia.
Eloquentia.
Ciceronis cõſolatio nuper inuenta, vt ſentit Carolus Sigonius.
Sigonius, & Riccobonus.

VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI ORATIO,

HABITA

Pro ſe ipſo in Academia Romana XVI. Kal. Iulij M. D. LXXXXII.

Valerij Homulli Romani ædes Antoninus Imp. ingreſſus, qd rogarit.

EXTRVCTAS eleganter, & ingenioſe Valerij Homulli Romani hominis ædes Antoninus Imperator ingreſſus dicitur, Viri clariſs. cumq. vt credibile eſt, lautam, & magnificam pulcherrimarum ſupellectilem rerum conſpexiſſet; nihil tamen admiratus magis, quam columnas porphyretico lapide inſignes, rogauit, vnde illas ſibi, mediocris homo fortunæ, comparaſſet. Tunc, nihil Imperatoris maieſtatem, nihil periculoſam domini offenſionem veritus, reſpōdit Homullus; eum, qui alienam domum ingreſſus ſit, mutum, & ſurdum eſſe debere.

Audax Homulli reſponſum.

Hæc vox, profecta quidem ab audaci loquendi libertate, tam libentibus, & animis, & auribus totius eſt poſteritatis excepta, vt, qui non illam obſeruet, & exemplo ſuo comprobet, is, in agreſtium, & rudium numero habitus, ridiculus, multorum opinione, & inurbanus exiſtat. Hac ego, iuſta fortaſſe, reprehenſione deterritus, in hoc nobiliſſimo cœtu, & litteratiſſimà frequentia, latebras quæſiuiſſem, quibus me occultarem; obſcurum elegiſſem angulum, vbi, quemadmodum decet in aliena domo peregrinum, mutus ſaltem deliteſcerem (nam hoc in loco aures qui obſtruat ſuas, homo non ſit) niſi heſternus dies omni me timore liberaſſet; atque multo, quā meus pudor, & ingenua quædam timiditas patitur, audaciorem veſtra mirifica, & ſingularis in ſtudioſos feciſſet humanitas.

Prima ratio. Quia, cum ſemel dixerit, iterum dicere aus'eſt. Auditorum humanitas animum addidit.

Neque vero tam ſum rudis in hac Vrbe, tam ignarus rerum omnium, tam imperitus antiquitatis, tam expers conſilij, & ingenij, vt neſciam vnam eſſe in terris Romam, quæ neminem, niſi auerſum a fide, & religione chriſtiana, peregrinum, neminem aduenam, neminem alienigenam, ſed omnes indigenas, omnes domeſticos, omnes alumnos agnoſcat, vt quæ in ipſis tanquam ortus ſui incunabulis, moleſtum, & odioſum peregrinitatis nomen è medio ſuſtulerit.

Secunda rō. Tertia ratio. Nemo Romæ peregrinus, quia cō munis eſt omnium Patria.

Itaque minus me iam illorū mouet, ac ne mouet quidem, oratio, quorum alij me, hominem Valentinum, ideoq. externum, intercluſo ad hanc Academiam aditu, repudiandum cenſent; alij ſuſceptum publice docendi laborem, ac ſtudium aliorum ſtudia iuuandi, exagitant, atque contēnunt. Vtriſq. dum, pro mea natura, modeſte, pro veſtra voluntate, breuiter re-

Duo aduerſariorum genera duo obijciunt, pere

ſpondeo, atque conſilium meum, & inſtitutum (quod heri pollicitus ſum) probare contendo, oro vos, Viri clariſsimi, vt me beneuole, & attente, quemadmodum facere cæpiſtis, audiatis. Tantus ad hanc Vrbem, vix dum a Romulo conditam, exterarum gentium concurſus eſt factus, vt haud facile tabulis conficiendis ſcribarum manus ſufficerent; & ipſe Romulus, quanquam incredibili voluptate perfunderetur, iure tamen timeret, ne ex tam varia, tamq. diſsimili conuenarum multitudine inteſtina odia, & domeſticæ diſſenſiones orirentur, quibus plura ſæpe regna, quam aliena ui, & hoſtilibus armis concidiſſe, miſerabili multorum exemplo didicerat. Vt ergo quam longiſsime prouideret in poſterum, foſſam rotundam in comitio fieri iuſsit, in quam vnus è ſingulis nationibus rerum, quibus, lege, vt honeſtis, natura, vt neceſſarijs, vtebantur, primitias, vt vocant, conferret; atque eius particulam ſoli, quod fuerat natale, conijceret. Sic enim ſperabat Rex, ob bellicas laudes, & inuſitatam illis temporibus regnandi prudentiam, cunctis ętatis ſuę Regibus antelatus, futurum, vt in vnius ciuitatis, & patriæ populum, illarum gentium, moribus, inſtitutis, lingua diuerſarum, animi conſpirarent, atque tam arcto amoris, conſuetudinis, & propinquitatis vinculo aſtringerentur, vt non ciuitas, ex diſsimili hominum genere miſta, ſed una gens, ab vno orta principio, vna ſoboles, ab vno auctore propagata videretur. Nã coniectis vnum in locum patriæ terræ glebis, vna omnium patria videbatur effecta; & primitię; in eadem foſſa, quam ille prudentiſsimo conſilio, Mundum appellari voluit, conditæ, atque permiſtæ, omnia omnium bona ſignificabant omnibus eſſe communia. Hinc permulti, acres æſtimatores rerum, ſcripſerunt Romam omnium gentium patriam eſſe, non minore in uniuerſos, quam ſingulæ ſint, in ſuos charitate. Profecto ſi prudentiſsimi Regis, qui romani generis, & potentiæ conditor fuit, quid quam apud Romanos factum ualet; ſi illius conſilium ſtultum non fuit; ſi conatus non irritus, ſi labor non inanis; ſi quod excogitauit ad amplitudinem, & ſtabilitatem Imperij ſui, id illius poſteri ad gloriam non aſpernantur, ex quacunque gente qui uis eſt, Romanus eſt, & cum Romanis agnatione, & uniuerſarum communione rerum coniunctiſsimus; Romanos quoties uidebit, quoties alloquetur, toties ſe ſuos uidere, & alloqui gentiles, arbitrabitur. Alioqui magnificum illud, & ſpecioſum communis omniũ gentium patriæ nomen uana tantum fama, & prædicatione conſtabit. Quod ſi quis putet nullos tunc Romæ Valentinos fuiſſe, aut uenire noluiſſe, aut officium illud neglexiſſe, aut præſtare nequiuiſſe, ideoque omnem eorum poſteritatem uſu Vrbis prohibendam; primum rogabo, qui id ſciat? a quo audiuerit? apud quem legerit? qua coniectura ducatur ad ſuſpicandum? Magno, inquit, terrarum » interuallo diſiuncti, excluſiq. erant. Et quidem nunc ſunt: quid tum » poſtea? interiectus maris homines, nauigationis imperitos, ab illa »

grinitatẽ, & ſuſcepti muneris inutilitatem.

Cœlius Rhodiginus.

Primum argumentum.

Diony. ſcripſit; Iunium Brutum terram Italiam oſculatũ, qd eam putaret omnium matrem mortalium: & oraculum Æneæ redditum; antiquam exquirite matrem, idem fortaſſe cõfirmare poteſt.

Prudentiſſimum Romuli conſilium.

Foſſa in comitio facta, & cur.

Q. Cic. de Pet. conſul. Roma, Ciuitas ex nationum concurſu conſtituta.

Foſſam, in Comitio factam Mundũ Romulus appellauit.

cogitatione, conatuq. deterruit. Mihi non fit ueriſimile. Quomodo
enim, multis ante Romam conditam ſæculis, uni gentium cum alte-
ra affinitates, ſocietates, hoſpitia, coniugia, omnia iura ſummę neceſ
Hiſpaniæ, & Italię coniunctio. ſitudinis intercesſiſſent? Quomodo Hiſpaniam, & Italiam unus Rex
imperio tenere coniunctam, de ſuo nomine magnam utriuſque par-
Non ab Hespero sydere. tem Heſperiam appellare, modo in hanc, modo in illam cum magno
ſæpe exercitu immigrare, utriuſque facultatibus, & copijs ad tuen-
dam ditionem ſuam, & amplificandam adiuuari potuiſſet, ſi longin-
qua terrarum ſpatia, & marinorum fluctuum motus, & agitationes
utranque gentem a mutuo congreſſu, & conſuetudine retardaſſent?
3 Deinde non contendam cum pertinacia, &, quod dubium eſt, & an-
ceps ob nimiam uetuſtatem, non tantum mihi aſſumam, ut certum
pro me, & fixum eſſe uelim, in tanta præſertim temporum obſcuri-
Valētini ante Romā conditā, Romani appellabātur. tate, hiſtoriarumque ſilentio. Nec dicam uix fieri potuiſſe, quin Va-
lentinos, qui, ut mox demonſtrabo, antequam Romulus huius Vr-
bis fundamenta ieciſſet, Romani appellabantur, ad ſe gliſcens in im-
4 menſam magnitudinem nouæ Romæ nomen exciuerit. Sed quæro
L. Ro. ff. ad municipales. hoc unum; cur Modeſtinus, Iure conſultus, titulo ad municipales,
Romam communem patriam dixerit? Andręas Alciatus, multæ, &
Diſpunctionum lib. 2. c. 21. reconditæ doctrinæ laude clarisſimus, hanc, Acurſij reiecta, ratio-
nem adfert; Quod omnes, qui Imperio Romano ſubditi eſſent, Ro-
Hæc rō nō placet Hierony. Magio in collectaneis, & iure. manæ ciuitatis ius haberent. Id ille collegit ex Paulo, Iuris auctore,
qui in titulo de ſtatu hominum habet in hunc modum; In orbe Ro-
mano qui ſunt, Ciues Romani ex conſtitutione Diui Antonini effecti
ſunt. Age modo, Hiſpania, quanta eſt, paruit ne Romano Impe-
» rio? fuit ne in orbe Romano? Secundo punico bello, inquit Solinus,
» de Hiſpania loquens, noſtra, nimirum, Romana, facta eſt. Athe-
Cap. 26. » næus præterea Romanorum ciuitatem, totius terræ, quæ habitatur,
Lib. 1. c. 15. Dipno. compendium uocat, quod in ea ciuitates omnes incluſas liceret intue
ri, Alexandrinorum auream, Antiochænorum pulchram, Nicome-
diorum ornatisſimam, omnium ſplendidisſimam Athenienſium.
Agnoſcit etiam Romæ non ſolum incolas, ſed ciues etiam Cappa-
doces, Scythas, Ponticos, alioſque complures. Quare cum totius ter
ræ compendium Roma cenſeatur, mirum non eſt, eam communem
patriam appellari, & potuiſſe, & debuiſſe. Atque O rem indignisſi-
mam! Erunt Ciues Romani Cappadoces, Scytæ, Pontici, aliæq. gen
tes, barbaræ, immanes, & Imperio Romano infenſæ, & inimicæ; &
Lib. 3. ca. 3. Valentia, Romanorum Colonia, ut teſtis eſt Plinius ſenior, &, quod
peius eſt, tota Hiſpania, quæ, auctore Antonino Panormitano, Im-
Lib 4. de rebus geſtis Alphōſi Regis. peratores, & Reges Romæ, Italiæque dare ſolita eſt, Traianum,
Adrianum, utrunque Theodoſium, Archadium, Honorium, Ciui-
tatis Romanæ ius non habebit? & non modo ab Vrbe, ſed etiam ab
Orbe terrarum exterminabitur? Quid hoc eſt, niſi ſumma in utran-
que contumelia eſt? Nam iſti ius Vrbis negantes Hiſpaniæ, eam ab

hum a-

humanæ finibus naturæ exterminant, aut in illum angulum conij-
ciunt, quo Romanorum virtus,& arma numquam penetrare potue-
rint;& Romam,detracta nobiliſsima,& maxima ditionis parte,ad in-
ſolitas anguſtias redigunt, cum hæc vna ipſa ſit, quæ imperium ſuum
non terræ, vt inquit M.Tullius, ſed cœli regionibus terminarit. Id Lib.2.cap.9.
quod præclare docuit Hegeſippus his verbis; In ipſorum, Romano- „
rum,quoq; nomen elementa tranſierũt;in quos etiam tranſiuit orbis „
terrarum, qui Romano Imperio clauditur, & definitur. Habentne „
quidquã,quod mihi opponant iſti,non tam alienæ exiſtimationis,quã
Romanę tum maieſtatis,tum glorię contemptores?Sunt ne hæc vera?
ſunt ne immortalibus teſtata monumentis? Sed reprimam me, & ad
illud confugiam, quod ſi negent, impietatis coarguam, ſi concedant,
incuriæ conuincam. Quæ membra vnum caput agnoſcunt, & in eo- 5
dem corpore continentur, ea diſsidere, aut repugnare, diſiuncta,
aut ſeparata eſſe qui poſſunt? Multitudinis, ait Lucas, credentium In Acti. Apoſt.
erat cor vnum, & anima vna: neque quiſquam eorum, quæ poſside-
bat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Si
non eſt,eſſe certe debet inter omnes Eccleſiæ Romanæ populos ſum-
ma ſancti amoris conſpiratio, fidelis ſocietas, animorum, vna diui-
ni iuris ratione deuinctorum, conſociatio. Neque enim vult ille,qui
cælum terris inaudita quadam ratione coniunxit, quorum animos,
voluntates, ſtudia vna fidei, ſpei, charitatis colligatione deuinxit,
quos in vnum Eccleſiæ corpus ſanguine ſuo copulauit, eorum res,&
rationes eſſe diuiſas. Iam ſi eſt ſimilitudo, vnica formæ ratio, in di- 6
uerſis rebus elucens, cuius tanta vis eſt, vt diuulſa etiam, atque diſ- A ſimilitudine.
ſoluta conglutinet, quænam eſſe debet Valentiæ cum Roma coniun
ctio, cum tanta ſimilitudo ſit? Eadem cæli temperatio, eadem vber Valentiæ, Romæ ſimilitudo.
tas ſoli, eadem agrorum, villarum, hortorum, amœnitas, eadem
herbarum, & florum ſuauitas, varietas, atque diuturnitas. Illa flu
mine Thuria, hæc Tyberi alluitur. Gentis eadem humanitas, ea-
dem elegantia, idem cultus, eadem hoſpitalitas, iidem prope uul-
tus (quod mirari ſoleo; & fallor interdum) idem veteris eloquentiæ
ſtudium, idem innumerabilium vocum vſus, par, ſi vtriuſque ciui-
tatis ambitum conſideres; populi frequentia, gentiumq. concurſus.
Denique, ne ad ſummam ſimilitudinem, & ideo ad coniunctionem
arctiſsimam aliquid deeſſet, idem vtrique nomen contigiſſe nobiliſ- Idem vtriuſque nomen.
ſimi ſcriptores tradiderunt. Illam enim Romus, Hiſpaniæ Rex, The-
ſtæ filius, Siculi nepos, Romam appellauit cc. xc. annis, & eo am Quando, & cur Valentia appellata.
plius, antequam Romulus hanc ædificaret, eo, nimirum, tempo
re, cum ab ingenti vniuerſi orbis terræ eluuione annus agebatur Non potuit accurata tẽporis, & annorum ſumma fieri librorum inopia.
D. CCCC. LXXVII. & Barac, atque Debora, iudicum nomine, præ-
erant Hebræorum Reipub. Elapſis vero. MC. XXXVIV. annis, cum
eam, Senatus, Populiq. Romani iuſſu, Pub. & Gne. Scipiones am-
pliſsimis domis affeciſſent, nouis,& pulcherrimis ædificijs auxiſſent,

Quando Valentia Romæ nomen depoſuit. & cur. Ita Barchinonem Fauĉtiã à fauore. Sed vicit prius nomen.

Galeottus Narnienſis de promiſcua doctrina cap 1.

Quã Romæ Valentia gratiam retulerit.

multisq. ornamentis illuſtraſſent, Valentiam nominandam cenſuerunt, illi idem nomen, quo Roma vulgo appellabatur, imponentes. Hac illi ratione Hiſpanorum animos, ciuitate Sagunto, quod amicitiam Romanorum contra dirum, ſæuumq. hoſtem Annibalem acerrime tueretur, miſerandum in modum euerſa, non parum ab alienatos, ſibi conciliare, nutantes confirmare, grauiſsima clade fractos recreare, iuſto dolore afflictos ſolari, omnes denique in veteri officio continere potuerunt. Hinc Valentiæ magna apud vicinas gentes, & remotas exiſtimatio acceſsit; hinc opes, quæ fuerant mediocres, vel potius tenues, accreuere; hinc partum nomen illuſtre, hinc quæſita fama, litterarum percelebrata monumentis, hinc præſentis amplitudinis factum initium. Horum illa beneficiorum memoriam numquam depoſuit; ſed quantum potuit, tantum contendit, non modo vt haberet, a qua laude nemo excluditur, verum etiam, vt, quod pauciſsimi ſolent, referret gratiam Romæ, cui quidem omnibus in rebus facile, in ſignificatione grati animi, nulla ratione cedit. Vt igitur arboribus natura inſitum eſt, vt maturos iam fructus à ſe ita excutiant, vt deferantur ſponte, niſi interiecta humus impediret, ad radices, quarum beneficio aluntur, creſcunt, conſeruantur; ita Valentia, parem gratiam Romæ, pro ſtudio ſuo, & officio redditura, optimos quoſque, & inſigni aliqua laude præſtantes, quos genuit, filios Romam mittit, tamquam ad radices, in quibus innixa, tanta euaſit, quanta eſſe poteſt, quæ maxima eſt. A duobus Scipionibus plurimis, & honorificétiſsimis ornamentis decorata eſt, duos itidem miſit, qui veri eſſent, & quodvis rerum pondus ſuſtinerent, Eccleſiæ Romanæ Scipiones, vel, ſi mauis, capita, quorum nutu reliqua membra regerentur, Calixtum III. & Alexandrum VI.

Duo Pontifices Valẽtini Calixtus iij. & Alexander vj.

Multi Cardinales, multi viri docti.

Valẽtini, qui nunc Romæ ſunt, litteratiſſimi.

Quid ego nunc referam ſanctiſsimos viros, inter quos, vt Heſperus inter ſydera, ſic Vincentius Ferrerius fulget? Quid commemorem Cardinales ampliſsimos, qui exquiſitiſsimis virtutibus ſuis, dignitatem illam, per ſe clariſsimam, multo clariorem reddiderunt? Quid enumerem viros eruditiſsimos, & ſapientiſsimos, qui ex cæleſti lumine ſumpta doctrina, quæſtionibus difficillimis, rebus omnino inuolutis, abſtruſis Chriſtianæ fidei miſterijs admirabilem interpretationis lucem attulerunt? Poſſum equidem ex hoc loco magnos Theologos, peritiſsimos vtriuſque iuris doctores, nobiles Philoſophos, aliosq. multos laudandarum artium cognitione, & magna pietate præditos, qui maximo ſumptu, grauiſsimis laboribus, & tanto cum vitæ periculo, quantum plerique experti ſunt, Romam venerunt, digito demonſtrare. Hi omnes pro gleba terræ patriæ, & leguminum ſeminibus, quæ maiores noſtri, aut coniecerunt, aut, ſi licuiſſet, in veterem illam Romuli foſſam coniecisſent, ingeniorum ſuorum fructus, ſtudia optimarum artium, animum, ad quævis pericula ſubeunda paratiſsimum, ſanguinem ipſum, ſi oporteat, vitam, ſi vtilis

Redit ad inſtitutum.

futura

futura eſt, & ſumma voluntate pollicentur, & egregia animi alacritate deferunt. O mirificam pietatem! Hos tu, Roma, filios, tam probos, tam eruditos, tam tui amantes, à te reijcies? horum promiſſa contemnes? obſequium reſpues? obſeruantiam aſpernaberis? Caue, quæſo, ne, vt illis eſt non mediocri laudi, & gloriæ tantam erga te non ſolum præſetuliſſe pietatem, & reuerentiam, ſed etiam præſtitiſſe, ita tibi dedecori ſit in illos, quorum meritis obſtricta es, non matris, vt decebat, charitatem retinuiſſe, ſed nouercæ odium, contra conſuetudinem tuam, præter omnium opinionem, ſuſcepiſſe. Qui hoſtem feriret, cum ſibi Carthaginenſem fore, clamabat Annibal, nominis tui, magnitudinis, gloriæ, felicitatis hoſtis atrociſſimus: & tibi, tibi, inquam (ſcio, quid dicam) non erunt ciues Romani, non propinqui, non filij, qui libenter pro te capitis certamen adibunt; quibuſuis ſe periculis exponent; ipſiusq. vitæ iacturam paruifacient? Tu nobis patria es, tu noſtra ciuitas, tu natale ſolum; tecum ſumus ſacrorum religione, fidei ſanctitate, diuinæ agnationis iure coniuncti. Vna nobis tecum ſtirps eſt, vna, & eadem naturæ ratio; eundem parentem, & conſeruatorem agnoſcimus, colimus, obſeruamus.

Videtis iam, viri clariſsimi, quam inique nobiſcum agant, qui peregrinitatis nomine ad noſtrum incommodum, & fraudem ab vtuntur. Quid, qui operam meam, vltro ſtudioſis oblatam, aſpernantur; & laborem, non neceſſarium, cum eo non indigeant, nobis indecorũ, cum ſine vlla mercede ſumatur, omnibus moleſtum, cum intempeſtiuus ſit, aſſeuerant. Illi quidem faciunt, ne intelligendo, vt nihil intelligant. Neque enim ego ita mei amore cæcutio, vt neceſſariam putem doctrinam meam, illis præſertim adoleſcentibus, qui, vt à magiſtris, in quibus nihil ad totius Encyclopediæ cognitionẽ deſideratur, inſtituti, optima quæque, & cognitione digniſsima, ſe pernunt, & condunt; vt peritiſsimi, multo plura ipſi per ſe inueſtigant; vt acutiſsimi conſequuntur. Verumenimuero, vt hoc ingenue confiteor, ſic polliceor (fortaſſe efficiam, eius auxilio adiutus, qui honeſtos conatus laudabili fine concludit) polliceor inquam, futurum, vt non ſolum voluntas mea, quam prudentes vnam perpendunt, grata, ſed etiam ſtudioſis, qui vtilitate ducuntur, fructuoſa contingat. In hoc autem voluntario munere quæ ſub eſſe deformitas, quæ latere turpitudo poteſt? Eſt, inquiunt, nec quærentibus, nec poſtulantibus oblatum; & merces, veteri prouerbio, vltroneæ putent. Præclare. Quaſi mercium, & ingenuarum artium eadem ratio ſit: quaſi ſordidi inſtitores rerum, paruo parabilium, & ingeniorum inſtitutores eadem eſſe illiberalitate debeant. Illi ſolent res ſuas aſtute occultare, furtim oſtendere, negare aliquando, ſæpe ita ſe comparare, vt grauate duci videantur ad vendendum, vt, cum te multa arte eluſerint, cupiditatem tuam accenderint, deſiderium inflammarint,

Altera pars orationis. Tria obijciũtur labor'inanis, indecorus, intempeſtiuus.

Prima reſpõſio ad primã obiectionẽ.

Prima reſpõſio ad ſecundã obiectionem.

multo

multo maius pretium extorqueant. At liberalium artium magiſtri liberales eſſe debent;non capi quæſtu,non habere loco prædæ commoda diſcipulorum, non inhiare ſtudioſorum bonis, nec, vt Stratocles, & Dramoclidas nequiſsimi homines, ſolebant publicam, ſic litterariam rem,auream meſſem putare. Veteres Philoſophi,qui aut ipſi per ſe optimas artes primi inuenerunt, aut ab alijs inuentas ingenioſe,& eleganter excoluerunt, & elaborando fecere meliores, eaſdem ſine vlla mercede,aut pretio tradebant;omnibus ingeniorum ſuorum diuitias, quouis theſauro pretioſiores, impertiebantur. Inuentus eſt,neſcio, quis, qui aut ad rem paulo attentior, aut inopia preſſus, aut ſordere imperitis rerum æſtimatoribus artes, nullo impédio acquiſitas, aut eo maiore in honore, quo illarum ſtudioſis carius conſtarent,futuras arbitratus, neminem indiſciplinam admittebat,niſi prius cum illo de conditione, & præmio, condemnata ſuperiorum liberalitate, transegiſſet. Huius fortaſſe, quiſquis fuit, ſecutus exemplum Hyperides, primus cauſſas mercede dixiſſe, vt Ariſtippus Cyrenaicus Philoſophiam docuiſſe,fertur. Qui ſe tamen,qui ſuos, qui ſtudia ſua ſuis ſumptibus alere poterat;qui habebat,vnde libros comeret; & omnia, vitæ cultui neceſſaria,compararet,parum de mercede cogitauit.Hinc illa Socratis apud Platonem vox, libera litatem ſuam in omne hominum genus vere prædicantis; Ego magiſter nullius vmquam fui. Si quis vero me vel dicentem,vel facientem voluit audire, ſiue iuuenis, ſiue ſenex eſſet,nulli vnquam operam negaui meam. Ergo inopia,inanis opinio, iudiciumq. præpoſterum mercedem, præmium,pretium, ſtipendium, ſalarium, nouas inuſitatas, incognitas primis ſapientiæ magiſtris,& Barbaras voces tunc in Academiam,Lyceum,Prytaneū, Pœcile,Canopum,Tempe,& reliqua Gymnaſia,& quas vocant,Vniuerſitates,inuexerunt. Num mentior?num quidquam fingo meæ exiſtimationis cauſſa? num fallor? volo non admoneri tantum,ſed redargui, & refelli,idq. in maximi loco beneficij ponam. Quod ſi donum ideo minus gratum eſt, quod vltro datum ſit; & dantis liberalitas turpis vobis videtur, quod gratuita, extinguite Solem, quod nullius precibus exoratus,nullius hortationem expectans exoriatur; ſuamq. lucem quotidie diffundat: obthurate fontes,quod ſine cuiuſquam opera, aut labore, ſed ipſi ſibi viam aperientes, erumpant, largiſsime manent, fluere nunquam deſinant:euellite herbas,ſæpe ſalutares,nullo hominum opere,ſed ſua ſponte naſcētes: accuſate Naturam,quod inepte liberalis, nunquam ceſſet iuuare ingratiſsimum hominum genus. Verum pergam ad reliquas nec vos hic diutius detinebo. Quintus, & vigeſimus menſis agitur, ex quo relicta patria, Valentia,ciuitate florentiſsima, & huius quaſi quadam alumna, omiſſo publico Romanam Eloquentiam profitendi munere, ſpretis aliter ſuadentium conſilijs, retinere conantium precibus reiectis, Romam veni, nulla ductus ambitione,à qua ſemper animo, & voluntate abhorrui, nulla cupidi-

Plutarchus.

Secunda reſponſio. Veteres Philoſophi ſine mercede docuerunt.

Hyperides primus cauſſas mercede dixit, vt Ariſtippus primus ſocraticorū docuit philoſophiā.

Vetera Gymnaſia, vt nonnulli cēſent.

Tertia reſpōſio.

Quarta reſponſio.

cupiditate, aut quæſtu illectus, cum mihi, vitæ præſidia ex ſola uirtute paranti honeſta ſatis, & opima cōditio contigiſſet, ſed eius Vrbis ergo, quam Deus vnā in terris eſſe voluit, vnde ſaluberrima veritatis lux in omnes gentes, atque nationes ſparſa, teterrimas ignorantię tenebras, & exitioſam diræ ſuperſtitionis caliginē diſsiparet. Quo toto tempore quæ fuerit meæ vitæ ratio, quę ſtudia, quę exercitationes, quam facile, quid quid oneris mihi impoſitū fuit, ſubierim, modo ea parendi facilitas vel publicam vtilitatē reſpiceret, vel excellentes virtutes in lucem, ad exemplum, & imitationem reliquorum, proferret, & quas publice recitaui, orationes declarant, nec quemquam veſtrū ignorare arbitror: Tunc, cum me occupationes domeſticæ, temporis anguſtiæ, vſitata Aulicis, mihi præter ceteros moleſta, ſalutandi, & reſalutandi, ducendi, & reducendi negotia grauiter premebant, paſſus non ſum meam requiri operam; ingenium, quodcunque eſt, deſiderari, deeſſe officium flagitantibus; nunc omni cura ſolutus, aut magna ex parte leuatus, tanto beneficio ad otium, & ignauiam, viui hominis ſepulturam, abutar? Non faciam, non committam, ut eorum morem tenere uidear, qui, quanta alijs ex ſua ipſorum diſciplina fiat acceſsio doctrinæ, tantam ſibi deceſsionē fieri putant, niſi præſentem viderint fructum laborum ſuorum. Hos ego Aetyopiæ formicis ſimillimos iudico. Nam vt illę & corporis mole, & naturæ ſæuitia armatis etiam hominibus formidabiles, aurum effoſum tanta feritate defendunt, vt eo adire, vbi habitant, & aurum aſportare, ſine certa pernicie, nemo poſsit, niſi, cum, ob ſolis ardorem, & æſtum, in ſuis cauernis abditæ, obdormiſcunt, ſic iſti ſua tam ſeuere bona cuſtodiunt, vt nihil ab eis impetrare queas, niſi, cum auaritia feruentes, vt illæ ſomno, mercede, lucroq. capiuntur. Ego vero maximum, & honeſtiſsimum meis ſtudijs, & laboribus quæſtum ceſsiſſe dicam, cum ex illis fructum aliquem perceperint mei, quicunque eſſe voluerint, auditores. Quamobrem maximas à me deberi gratias clariſsimis viris fateor, qui cum auctores mihi fuerunt, vt, ad retinendam meam priſtinam benemerendi, quantum licuit, & quamdiu licuit, de Repub. conſuetudinem, publice docendi munus, vel ſine mercede depoſcerem, tum, vt impetrarem, ſua gratia, auctoritate, commendatione fecerunt. Atque vtinam ea eſſet in me facultas orationis, ea ingenij uis, ea doctrinæ copia, ea (ut uno uerbo dicam) eloquentia, quæ, non præſtantiſsimorum hominum de me iudicio (eo enim beneuolentia, & mei cohoneſtandi gratia, progreſsi ſunt, quo aſpirare non potero) ſed pro penſioni erga uos meæ reſponderet, efficerem certe, ut nunquam uos operæ, in me audiendo poſitæ, pœniteret. Sed mos gerendus illis fuit, quorum nutu omnes noſtræ uitæ rationes, & omnia ſtudia gubernantur. Habebit ſaltem hoc genus officij à tenuitate mea communis hæc omnium gentium patria, cum aliud maius, & melius præſtare non poſsim; habebit has vigilias, tanquam obſides animi,

Quinta reſponſio. Iſidorus. Prima Reſpōſio, ad 3. obiectionē.

animi, & pignora uoluntatis meæ. Nec, quod mihi tertio loco obiectum fuit, uereor, ne quid moleſtiæ uobis aſpergam (nam de me, cui ueſtra uoluptas ſumma iucunditas fuerit, non laboro.) Quibus enim placere ſtudeo, quorum iudicio comprobari, quorum rationibus egregie conſultum cupio, eis, ſi prudens, aut ſciens, faſtidium parerem, ſtulte facerem. Incipiam, cum uobis placuerit; deſinam cũ primum aliquis nutu ſignificauerit; fingam me totum, & componã ad ſenſum animorum veſtrorum. Si quis locus paulo obſcurior, ſi hiſtoria, non admodum trita, ſi lepida fabella, ſi artificium, vulgo non ſatis cognitum ſeſe in illis auctoribus, quos explanabimus, obtulerit; ſi quid repetendum fuerit ex antiquitate, ſi conſulenda veterum & recentiorum monumenta, ſi conciliandi, qui ſæpe diſsident inter ſe, ſecumq. diſcordant, interpretes, in his omnibus ita megeram, vt miſcuiſſe vtile cum dulci, cum linguæ elegantia, reconditaq. doctrina cultum animi coniunxiſſe, ioca ſerijs addidiſſe, nihil ad oſtentationem ambitioſe, ad doctrinæ venditationem arroganter, ad cuius quam iniuriam contumelioſe, omnia ad Dei gloriam Chriſtiane, ad huius Academiæ decus ingenue, ad ſtudioſorum utilitatem amanter cogitaſſe, dixiſſe, feciſſe videri iure debeã. Quod ſi ne hac quidem ratione aliquibus, obſtinatione ſententiæ, à nobis penitus auerſis, operam, aut inſtitutum probare meum potero, non me deſeram ipſe, non abijciam conſilium; non alio vertam cogitationes, ne plus apud me paucorum alienatio, quam multorum honeſta beneuolentia valuiſſe appareat. Quid ergo? Appellabo ad ſanctisſimos Pontifices, quorum vnus, & item alter, & eorum quiuis Romulo maior, melior, auguſtior, non foſſam in altitudinem deprimi, ſed hãc nobilisſimam ædificari Academiam fecit, in quam non res abiectas, & humiles, gulæ, & ventri, importunisſimis dominis ſeruientes, ſed magnas, admirabiles, pretioſas, vera, ſcilicet, & immortalia animorum ornamenta, qui vellet, qui poſſet, conijceret. Ad hos ego, quibus me voluntatem, & conatum meum facile probaturum confido, reſpectum habens, in hoc Sapientiæ ærarium inferam æra duo, minuta, ſi inferentis tenuitatem, maxima, atque adeo etiam aurea, ſi excellentiam, & amplitudinem illatorũ perpẽdatis. Ea ſunt Ciceronis Oratio pro Q. Ligario, & Alciati Emblemata, quorum ſingula ſingulis Mercurij diebus, hora ſecunda pomeridiana, exponentur, reliqui in declarando Cicerone ponentur. Sic omnis ſatietas, gratisſima varietate, & viciſsitudine releuata, mitigabitur: ſic illorum, qui languent, excitabuntur, qui ſatis alacres ſunt, ſtudia alentur. Aderunt Muſæ, vel potius, aderit Deus, piè, & religioſe inuocatus, aderit ſanctisſimorum Pontificum precibus exoratus, & efficiet, vt hæc publice Romanam Eloquentiam profitendi voluntaria prouincia a me neque ambitioſe appetita, neq. temere ſuſcepta, neque intẽpeſtiue geſta eſſe videatur.

Margin notes: Secunda reſponſio. — Tertia reſponſio. — Quos, quibus diebus, & quota hora ſit explicaturus auctores. — Non ergo inutilis, non indecora, nõ importuna, vt obijciebatur.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE